De corpore Christi

Immensa divine largitatis beneficia exhibita populo cristiano: inestimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio que habeat deos appropinquantes sibi: sicut adest nobis deus noster. Unigenitus siquidem dei filius. sue divinitatis volens nos esse participes naturam nostram assumpsit. ut homines deos faceret factus homo. et hoc insuper quod de nostro assumpsit. totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam optulit deo patri. sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum: ut redempti a miserabili servitute. a peccatis omnibus mundaremur. Et ut tanti beneficii iugis in nobis maneret memoria: corpus suum in cibum. et sanguinem suum in potum sub specie panis et vini sumendum fidelibus dereliquit. O preciosum et admirandum convivium salutiferum: et omni suavitate repletum. Quid enim hoc convivio preciosius esse potest. in quo non carnes vitulorum et hircorum ut olim in lege. sed nobis Christus sumendus proponitur verus deus. Quid hoc sacramento mirabilius. In ipso namque panis et vinum in corpus Christi et sanguinem substantialiter convertuntur. Ideoque Christus deus et homo perfectus: sub modici panis specie continetur. lc.

Manducatur itaque a fidelibus sed minime laceratur: quinimmo diviso sacramento integer sub qualibet divisionis particula perseverat. Accidentia etiam sine subiecto in eodem existunt. ut fides locum habeat. dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum. et sensus a deceptione immunes reddantur: qui de accidentibus iudicant sibi notis. Nullum enim sacramentum est isto salubrius. quo purgantur peccata: virtutes augentur: et mens omnium spiritualium carismatum habundantia impinguatur. Offertur in ecclesia pro vivis et mortuis. ut omnibus prosit: quod est pro salute omnium institutum. Suavitatem namque huius sacramenti nullus exprimere sufficit. per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur: et recolitur memoria illius quam in sua passione Christus monstravit excellentissime caritatis. Unde ut artius huius caritatis immensitas cordibus infigeretur fidelium: in ultima cena quando pascha cum discipulis celebrato. transiturus erat ex hoc mundo ad patrem: hoc sacramentum instituit. tamquam passionis sue memoriale perenne: figurarum veterum impletivum: miraculorum ab ipso factorum maximum: et de sua contristatis absentia solatium singulare. Tu autem domine. lc.

Convenit itaque devocioni fi-
delium sollempniter recolere
institucionem tam salutiferi tamque
mirabilis sacramenti: ut ineffabilem
modum divine presencie in sacramento
visibili veneremur. et laudetur
dei potencia que in sacramento eodem
tot mirabilia operatur: nec non et
de tam salubri tamque suavi beneficio
exsolvantur deo graciarum debite acci-
ones. Verum et si in die cene quo
sacramentum predictum noscitur institutum
inter missarum sollempnia de institu-
cione ipsius specialis mencio habe-
atur: totum tamen residuum eius-
dem diei officium ad Christi passio-
nem pertinet: circa cuius venera-
cionem ecclesia ab illo tempore occu-
patur. Unde ut integro cele-
britatis officio institucionem tanti
sacramenti sollempniter recoleret
plebs fidelis: romanus pontifex
urbanus quartus huius sacramenti
devocione affectus: pie statuit
prefate institucionis memoriam
prima feria quinta post octavas pen-
thecostes. a cunctis fidelibus cele-
brari: ut qui per totum anni cir-
culum hoc sacramento utimur
ad salutem: eius institucionem
illo specialiter tempore recolamus
quo spiritus sanctus discipulorum cor-
da edocuit. ad plene cognos-
cenda huius misteria sacramenti.
Nam et in eodem tempore cepit hoc
sacramentum a fidelibus freque-
ntari. Legitur enim in actibus apo-
stolorum quod erant perseverantes in doc-
trina apostolorum. et communicacio-
ne fraccionis panis et oracionibus
statim post sancti spiritus missionem

Ut autem predicta quinta feria et per
octavas sequentes eiusdem salu-
taris institucionis honorificencius
agatur memoria et sollempni-
tas de hoc celebrior habeatur:
loco distribucionum materialium
que in ecclesiis cathedralibus largi-
untur existentibus canonicis
horis nocturnis pariter et diurnis
prefatus pontifex romanus eis qui
huiusmodi horis in hac sollempnita-
te personaliter in ecclesiis interessent:
stipendia spiritualia apostolica lar-
gicione concessit: quatinus per hec
fideles ad tanti festi celebrita-
tem avidius et copiosius co-
nvenirent. Unde omnibus vere
penitentibus et confessis qui matu-
tinali officio huius festi presencia-
liter in ecclesia ubi celebraretur
adessent centum dies: qui vero
misse totidem. Illis autem qui inter-
essent in primis vesperis ipsius
festi similiter centum: qui vero in secundis
totidem. Eis quoque qui prime
tercie sexte none ac completo-
rii adessent officiis: pro qualibet
horarum ipsarum quadraginta dies.
Illis vero qui per ipsius festi octa-
vas in matutinalibus vespertinis
misse ac predictarum horarum offi-
ciis presentes existerent: singulis
diebus octavarum ipsarum centum
dierum indulgenciam misericor-
diter tribuit. perpetuis tempori-
bus duraturam. Ambrosius de sacramento

Huius sacramenti
figura precessit:
quando manna pluit deus patribus
in deserto: qui cotidiano celi
pascebantur alimento Unde dic-
tum est Panem angelorum

manducavit iudeus. Sed tamen
panem illum qui manducaverunt:
omnes in deserto mortui sunt.
Ista autem esca quam accipitis iste
panis vivus qui de celo descendit:
vite eterne substantiam ministrat.
Et quicumque hunc panem manducave-
rit: non morietur in eternum: quia
corpus christi est. Considera nunc
utrum prestantior sit panis angelo-
rum an caro christi que utique est
corpus vite. Manna illud
de celo: hoc super celum. Illud celi:
hoc domini celorum. Illud corrupti-
oni obnoxium si in diem alterum
servaretur: hoc alienum ab omni
corruptione. Quicumque religio-
se gustaverit: corruptionem sen-
tire non poterit. Illis aqua de
petra fluxit: tibi sanguis e christo.
Illos ad horam saciavit aqua: te
sanguis diluit in eternum. Iudeus
bibit et sitit: tu cum biberis
sitire non poteris. Et illud in
umbra: hoc in veritate. Si il-
lud quod miraris umbra est. quan-
tum istud est cuius umbram mira-
ris. Audi quia umbra est: que
apud patres facta est. Bibebant
inquit de spirituali consequenti
eos petra. Petra autem erat
christus. Sed non in pluribus eorum
complacitum est deo: nam prostrati sunt
in deserto. Hec autem sunt in figu-
ra nostri. Cognovisti potiora.
Potior est enim lux quam umbra.
veritas quam figura: corpus
auctoris quam manna de celo.

Forte dicis: Aliud video
quomodo tu mihi asseris quod
corpus christi accipiam. Et hoc
nobis superest ut probemus. Quan-
tis igitur utimur exemplis
ut probemus hoc non esse quod natura
formavit: sed quod benediccio con-
secravit. Maioremque vim esse
benediccionis quam nature: quia benediccio-
ne etiam natura ipsa mutatur.
Unde virgam tenebat moyses:
proiecit eam et facta est serpens.
Rursus apprehendit caudam ser-
pentis: et in virge naturam re-
vertitur. Vides ergo prophetica
gratia bis mutatam esse natu-
ram: et serpentis et virge.
Currebant egypti flumina puro
meatu aquarum subito de fon-
tium venis sanguis cepit erumpere:
non erat potus in fluviis. Rursus
ad prophete preces cruor flumi-
num cessavit: aquarum natura re-
meavit. Circumclusus unde-
que erat populus hebreorum hinc
egyptiis vallatus: inde mari
conclusus virgam levavit moy-
ses: separavit se aqua et in mu-
rorum speciem se congelavit: atque
inter undas via pedestris ap-
paruit. Iordanis retrorsum
conversus: contra naturam in
sui fontis revertitur exordium.
Nonne claret natura. vel mari-
timorum fluctuum. vel cursus flu-
vialis esse mutatam. Sitiebat
populus patrum. tetigit moyses
petram: et aqua de petra fluxit.
Numquid non preter natu-
ram operata est gratia. ut aquam
vomeret petra quam non habe-
bat natura.

Marath fluvius amarissimus erat: ut siciens populus bibere non posset. Moyses misit lignum in aquam: et amaritudinem sua aquarum natura deposuit: quam infusa subito gratia temperavit. Sub helizeo propheta unus ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi: et statim inmersum est. Rogavit helizeum qui amiserat ferrum. Misit etiam helyzeus lignum in aquam: et ferrum natavit. Utique etiam hoc preter naturam factum cognovimus. Gravior est enim ferri species: quam aquarum liquor. Advertimus igitur maiorem esse gratiam quam naturam: et adhuc tamen prophetice benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret: quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis: Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo helye ut ignem de celo deponeret: non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum.

Lectio sancti ewangelii secundum Johannem.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis. Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Omelia beati Augustini episcopi

Cum enim cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque siciant: hoc vere non prestat nisi iste cibus et potus qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit: id est societas ipsorum sanctorum: ubi pax et unitas plena. Propterea quippe sicut etiam ante nos intellexerunt homines dei: dominus noster Ihesus christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit: que ad unum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis unus panis conficitur: et ex multis racemis vinum confluit. Marcz p feria

Denique iam exponit quomodo hoc fiat quod loquitur: et quid sit manducare corpus eius. et sanguinem bibere. Et qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem: in me manet et ego in eo. Hoc est ergo manducare illam escam. et illum bibere potum: in Christo manere et illum manentem in se manere. Ac per hoc qui non manet in Christo et in quo non manet Christus: procul dubio non manducat spiritualiter eius carnem: licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta corporis et sanguinis Christi. Sed magis tante rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit ~~et bibit~~ qui inmundus presumit ad Christi accedere sacramenta: que alius non digne sumit nisi qui mundus est: de quibus dicitur. Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt.

Sicut misit me vivens pater: et ego vivo propter patrem. Et qui manducat me: et ipse vivet propter me. Non enim filius participatione patris fit melior. qui est natus equalis: sicut participatione filii per unitatem

corporis et sanguinis quam illa mandu
catio potatioque significat: effi
cit nos meliores. Viuimus
ergo nos propter ipsum manducan
tes eum: id est per ipsum accipien
tes vitam eternam quam non habe
mus ex nobis. Viuit autem ipse
propter patrem missus ab eo:
quia semetipsum exinaniuit factus
obediens usque ad mortem mortem
autem crucis. Sicut misit me
viuens pater: et ego viuo propter
patrem. Et qui manducat me:
et ipse viuet propter me. Ac si
diceret. Et ego viuo propter patrem:
id est ut ad illum tanquam ad maio
rem referam vitam meam:
exinanitio mea fecit in qua me
misit. Ut autem quisque viuat propter
me: participatio facit qua
manducat me. Ego itaque
humiliatus viuo propter patrem
et ille erectus viuit propter me.
Non de ea natura dixit
qua semper est equalis patri: sed
de ea in qua minor factus
est patre: de qua etiam superius
dixit. Sicut pater habet vitam
in semetipso: sic dedit et filio
vitam habere in semetipso. id est
genuit filium habentem vitam in
semetipso. Item Augustinus
in epistola ad herenem
Apud ebdomadam l. i.

Christus panis est: de quo
qui manducat viuit in
eternum. De quo ipse met
dixit. Et panis quem ego da
bo caro mea est pro mundi
vita. Determinat quomodo sit pa
nis: non solum secundum verbum quo
viuunt omnia. sed secundum carnem as
sumptam pro mundi vita. Humana
enim caro que erat peccato mortua:
carni unite vnita. incorporata
vnum cum illa effecta: viuit de spi
ritu eius. sicut viuit corpus de
suo spiritu. Qui vero non est de corpo
re christi non viuit de spiritu christi.

Augustinus in libro de trinitate

Corpus et sanguinem christi dicimus
illud quod ex fructibus terre acceptum
et prece mistica consecratum recte
te sumimus ad salutem spiritualem
in memoria dominice passionis.
Quod cum per manus hominum ad illam
visibilem speciem perducatur: non
sanctificatur ut sit tam magnum
sacramentum nisi operante inuisibiliter
spiritu sancto: cum hec omnia que corporales
motus in illo opere fiunt: deus operetur.
Hoc est sacramentum pietatis et est
signum vnitatis: et vinculum
caritatis. Qui vult viuere: acce
dat et credat: incorporetur huic
cibum et potum: societatem vult
intelligi corporis et membrorum
suorum quod est ecclesia in predesti
natis. Hoc est quod dicimus: quod

Augustinus in libro sententiarum

omnibus modis approbare conten
dimus. Sacrificium ecclesie duo
bus conficitur. duobus constare: vi
sibili elementorum specie. et inui
sibili domini nostri ihesu christi carne
et sanguine: id est sacramento
et re sacramenti. Corpus christi
sicut christi persona constat et conficitur
ex deo et homine: cum ipse christus
verus sit deus et verus homo:
quia omnis res illarum rerum
naturam et veritatem in se

continet et quibus conficitur
Conficitur autem sacrificium ecclesie
duobus. sacramento et re sacramen-
ti: id est corpore christi. Est igitur
sacramentum et res sacramenti. id est
corpus christi et sanguis eius: que
sub vini specie ac sapore potamus
Caro eius est quam forma panis
operta in sacramento accipimus:
et sanguis eius quem sub vini
specie ac sapore potamus. Caro
videlicet est carnis. et sanguis
est sacramentum sanguinis. Carne
utroque et sanguine invisibili intelli-
gibili spirituali significatur vi-
sibile corpus domini nostri ihesu christi
et palpabile: plenum gratia om-
nium virtutum et divina maies-
tate. ¶ Sicut ergo celestis
panis qui vere christi caro est.
suo modo vocatur corpus christi
cum revera sit sacramentum corpo-
ris christi illius videlicet quod vi-
sibile quod palpabile mortale
in cruce est positum. vocaturque
ipsa carnis immolatio que sacerdotis
manibus fit christi passio. mors
crucifixio non rei veritate sed
significanti misterio: sic sacra-
mentum fidei quod baptisma intelli-
gitur fides est. Iteratur coti-
die hec oblatio licet christus semel
passus in carne per unam eandem-
que mortis passionem semel salva-
verit mundum. ex qua morte idem
resurgens ad vitam: mors illi
ultra non dominabitur. Quod
perfecto sapientia dei patris ne-
cessarium pro multis causis hoc
providit. primo quidem quia

cotidie peccamus. saltem in peccatis
venialibus sine quibus mortalis
infirmitas vivere non potest: quia licet
omnia peccata condonata sint in baptis-
mo infirmitas tamen peccati adhuc
manet in carne. Unde psalmista
Benedic anima mea domino: qui propici-
atur omnibus iniquitatibus tuis.
qui sanat omnes infirmitates tuas.
Et ideo quia cotidie labimur coti-
die christus pro nobis mistice
immolatur et passio christi in miste-
rio traditur. ut qui semel
moriendo mortem vicerat: co-
tidie recidiva delictorum per
hec sacramenta corporis et
sanguinis peccata relaxet. Unde
oramus. dimitte nobis debita nostra.
quia si dixerimus quia peccatum non
habemus: ipsi nos seducimus
et veritas in nobis non est ¶
Iteratur etiam hoc misterium et
ob commemorationem passionis
christi: sicut ipse ait. Hec quo-
tienscumque agitis: in mea comme-
morationem facietis. Quoties-
cumque ergo hunc panem sumitis
et bibitis hunc calicem: mortem
domini annunciabitis donec veniat.
Non itaque sic accipiendum est
donec christi mors veniat quia
iam ultra non moritur: sed
donec ipse dominus ad iudicium veniat
Interim autem semper mors est christi pro
pro seculi vita posteris nun-
cianda. ut discant quanta caritate
dilexit suos. qui pro eis mori
dignatus est: cui omnes debe-
mus vicem rependere caritatis
Prima ad hoc nos prior dilex-
it cum essemus iehenne filii: ut
diligeremus eum iam a mor-

te libertati. Prima morte domini
libertati sumus: huius vero me-
moriam in edendo carnem et po-
tando sanguinem eius quae pro
nobis oblata sunt significamus.

Augustinus de consecratione

Utrum sub figura an sub ve-
ritate hoc misticum sacra-
mentum fiat: veritas ait Ca-
ro mea vere est cibus: et san-
guis meus vere est potus.
Alioquin quomodo magnum erit.
Panis quem ego dabo caro mea
est pro mundi vita. nisi vera sit
caro. Sed quia Christum fas vora-
ri dentibus non est: voluit hunc
panem et vinum in misterio vere
carnem suam et sanguinem suum conse-
cratione spiritus sancti potencialiter
creari et cotidie pro mundi
vita mistice immolari. ut
sicut de virgine per spiritum sanctum
vera caro sine coitu crearetur: ita per eundem spiritum ex
substancia panis et vini mis-
tice idem corpus Christi consecra-
tur. Corpus ergo Christi: et ve-
ritas et figura est. Veritas
dum corpus Christi et sanguis in
virtute spiritus sancti et in virtute
ipsius ex panis vinique substan-
tia conficitur: figura vero
est id quod exterius sentitur. ¶
Intra catholicam ecclesiam
in misterio corporis Christi nich-
il a bono maius nichil a malo
minus perficitur sacerdote. quia
non in merito consecrantis
sed in verbo efficitur creato-
ris: et in virtute spiritus sancti.
Si enim in merito esset sacer-
dotis: nequaquam ad Christum
pertineret. Nunc autem sicut ipse
est qui baptizat. ita ipse est qui
per spiritum sanctum hanc suam efficit car-
nem: et transit vinum in sanguinem.
Unde et sacerdos. Iube inquit haec
perferri per manus angeli tui sancti
in sublime altare tuum: in conspectu
divine maiestatis tue. Ut quid
deferenda in lucem deposcit. ni-
si ut intelligatur quod ista fiant
in eo sacerdotio. Hanc ergo
oblationem benedictam per quam bene-
dicimur: ascriptam per quam in celo
ascribimur. ratam per quam
visceribus Christi esse censeamur:
racionabilem. per quam a bestia-
li sensu exuimur. accep-
tabilem ut qui nobis ipsis
et patri displicemus: per hanc
acceptabiles eius unico filio
simus. Nichil racionabilius
ut quia nos iam similitudi-
nem mortis eius in baptis-
mo accepimus. similitudinem
quoque carnis et sanguinis
sumamus. ita ut veritas
non desit in sacramento: et ridi-
culum nullum fiat a paganis
quod cruorem occisi hominis non
bibamus. ¶ Credendum
est: quod in verbis Christi sacra-
menta conficiuntur. Cuius
enim potencia creantur prius:
eius utique verbo ad melius
procreantur. Reliqua omnia
que sacerdos dicit. aut cle-
rus aut chorus canit. nich-
il aliud quam laudes et gratiarum
actiones sunt: aut certe ob-
secraciones aut fidelium

Ambr. de consecratione

petitiones ¶ Omnia que-
cumque voluit dominus fecit in ce-
lo et in terra. et quia voluit
sic factum est ita. Itaque licet
figura panis et vini videatur:
nichil tamen aliud quam caro Christi
et sanguis post consecrationem
credenda sunt. Unde veritas
ad discipulos. Hec inquit caro
mea est: pro mundi vita. Et
ut mirabilius loquar. non alia pla-
ne quam que nata est de virgi-
ne maria et passa in cruce:
et resurrexit de sepulchro.
Hec inquam ipsa est et ideo Christi
est caro que pro mundi vita ad-
huc hodie offertur: et cum dig-
ne percipitur vita utique eter-
na in nobis reparatur.
Panem quidem istum quem sumi-
mus in misterio. illum utique
intelligo panem qui manu
spiritus sancti formatus est in
utero virginis: et igne pas-
sionis decoctus in ara crucis
Panis enim angelorum: factus
est hominum cibus. Unde ipse
ait. Ego sum panis vivus:
qui de celo descendi. Et ite-
rum Panis quem ego dabo ca-
ro mea est: pro mundi vita.

Augustinus

¶ Cotidie eucaristie commun-
ionem accipere nec laudo nec
vitupero: omnibus tamen dominicis di-
ebus. communicandum hortor
Si tamen mens in affectu
peccandi est: gravari ma-
gis dico eucaristie percep-
tione quam purificari. Et ide-
o quamvis quis peccato mor-
deatur peccandi tamen de
cetero non habeat voluntatem.
et communicaturus satisfaciat
lacrimis et orationibus: et confi-
dens de domini miseratio-
ne accedat ad eucharistiam
intrepidus et securus. Sed
hoc dico de illo: quem morta-
lia peccata non gravant. Item
dixerit quispiam non cotidie ac-
cipiendam eucaristiam. alius
affirmat cotidie. faciat unus-
quisque: quod secundum fidem suam pie
credit esse faciendum. Neque
enim litigaverunt inter se aut quisquam
eorum alteri se preposuit. Zache-
us et ille centurio. cum alte-
rum gaudenter in domo sua
susceperit dominum alter dix-
erit domino: domine non sum dignus
ut intres sub tectum meum.
Ambo salvatorem honorifican-
tes: quamvis non uno modo.
Ambo peccatis miseri: ambo
misericordiam consecuti. Ad
hoc valet: quod manna secundum
propriam voluntatem in ore cu-
iusque sapiebat. ¶ Si quo-
ciensque effunditur sanguis
Christi in remissionem peccatorum fun-
ditur. debeo illum semper acci-
pere: ut semper mihi peccata di-
mittantur. Qui semper pec-
co: debeo semper habere me-
dicinam. Qui scelerate vi-
vunt in ecclesia et communica-
re non desinunt putantes se
tali communicatione mundari.
discant nichil ad emundatio-
nem proficere sibi: dicente
propheta. Quid est quod di-
lectus meus fecit in domo

mea, prebeam multa? Inquid
carnes sancte auferunt a te
malicias tuas? Et apostolus.
Probet inquid se homo: et sic de
pane illo edat et de calice bi
bat. Non iste panis est qui
vadit in corpus: sed panis vi
te eterne: qui anime nostre sub
stanciam fulcit. Iste panis co
tidianus est: accipe cotidie
quod cotidie tibi prosit. Sic
vive: ut cotidie merearis ac
cipere. **Augustinus de trinitate. de confessione**

Sancta malis
possunt obesse: bonis autem ad
salutem malis ad iudicium. Unde
apostolus. Qui manducat et bibit
indigne: iudicium sibi manducat
et bibit. Non quia illa res ma
la est: sed quia malus male acci
pit quod bonum est. Non enim
mala erat buccella: que iude da
ta est a domino. Salutem medicus
dedit: sed quia ille qui indig
nus accepit: ad perniciem suam
accepit. Non prohibeat dis
pensator pinguis terre escam
domini manducare: sed exacti
onem moneat timere. Sicut
Iudas cum buccellam sibi tradidit
christus: non malum accipiendo
sed bonum male accipiendo locum
prebuit diabolo: sic indigne
sumens quisque corpus christi
non efficit. ut quia malus est
malum sit: aut quia non ad salutem
accepit nichil accepit. Corpus
enim et sanguis domini nichilo
minus erat in illis: quibus dice
bat apostolus. Qui manducat
et bibit indigne: iudicium sibi

manducat et bibit. Multi in
digne corpus christi accipiunt:
de quibus ait apostolus. Qui man
ducat panem et bibit calicem
domini indigne: iudicium sibi
manducat et bibit. Sed
quomodo manducandus est christus?
Quomodo ipse dicit? Qui
manducat carnem meam et bi
bit meum sanguinem digne: in me
manet et ego in eo. Et si in
digne accipit sacramentum: acci
pit magnum tormentum. Cum
a corpus assumptum ablaturus
erat dominus ab oculis et illaturus
sideribus: necessarium erat ut
die cene sacramentum nobis cor
poris et sanguinis consecraret:
ut coleretur iugiter per miste
rium quod semel offerebatur
in precium: ut quia cotidiana
et indefessa currebat pro ho
minum salute redempcio perpe
tua esset redempcionis ob
latio et perhennis victima il
la viveret in memoria et sem
per presens esset in gratia vere uni
ca et perfecta hostia fide ex
istimanda non specie neque
exteriori cernenda visu: sed
interiori affectu. Unde me
rito celestis confirmat auc
toritas: quia caro mea vere
est cibus et sanguis meus
vere est potus. Recedat ergo
omne infidelitatis ambiguum:
quoniam quidem qui auctor est mu
neris: ipse est et testis ve
ritatis. Nam et invisibilis
sacerdos visibiles creaturas
in substanciam corporis sui et

Aug. in sermone de
[illegible]
de confessione

sanguinis verbo suo secreta potestate convertit ita dicens: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et sanctificatione repetita: accipite et bibite: hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum precipientis domini repente ex nichilo substiterunt: excelsa celorum profunda fluctuum vasta terrarum: ita pari potestate in spiritualibus sacramentis ubi precipit virtus: servit effectus.

Quanta itaque et quam celebranda beneficia vis divine benedictionis operetur: et quomodo tibi novum et impossibile esse non debeat quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur: teipsum qui in Christo es regeneratus interroga. Dudum alienus a vita peregrinus a misericordia: et a salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subito initiatus Christi legibus et salutaribus misteriis innovatus in corpus ecclesie non videndo sed credendo transiluisti: et de filio perditionis adoptivus dei fieri occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens maior factus es te ipso invisibiliter: sine quantitatis augmento. Cum idem atque ipse esses multo alter fidei processibus extitisti: in exteriori nichil additum est: et totum in interiori mutatum est. Ac sic homo Christi filius effectus: et Christus hominis in mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu vilitate preterita deposita subito novam indutus es dignitatem: et sicut hoc quod deus in te lesa curavit: infecta diluit: maculata detersit: non oculis sed sensibus tuis sunt credita: et tu reverendum ad altare cibis spiritualibus saciandus ascendis: sacrum dei tui corpus et sanguinem fide respice: honora et mirare: mente continge: cordis manu suscipe: et maxime mente totum haustu interioris hominis assume.

In Christo semel oblata est hostia: ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos dicimus? Nonne singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius: et una est hostia non multe. Quomodo una et non multe? Quia semel oblatus est Christus: hoc autem sacrificium est exemplum illius: id ipsum et semper id ipsum: proinde hoc idem est sacrificium unum solum. Alioquin dicetur: quia in multis offertur multi sunt Christi? Nequaquam: sed unus ubique Christus: et hic plenus existens et illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus et non multa corpora: ita et unum sacrificium. Pontifex autem est ille qui hostiam optu

lit nos mundantem. ipsam
offerimus etiam nunc que tunc
oblata consumi non potest:
quod nos facimus. in commemo
ratione fit eius quod factum est.
Hoc enim facite aut in meam
commemorationem.

In sacramentorum oblacionibus
que intra missarum solempnia
offeruntur: panis tantum
et vinum aqua permixtum in
sacrificium offerantur. Non
enim debet in calice domini
aut vinum solum aut aqua sola of
ferri: sed utrumque permixtum:
quia utrumque ex latere eius in
passione sua profluxisse
legitur. Calix etiam domini
cus vino et aqua permixtus de
bet offerri. quia videmus in a
qua populum intelligi: in vino
ostendi sanguinem christi. Ergo
cum in calice vinum aqua miscetur
christo populus adunatur. et
credentium plebs ei in quem cre
dit copulatur et iungitur: que
copulatio et coniunctio aque et
vini sic miscetur in calice do
mini ut mixtio illa non possit
separari. Nam si vinum tantum
quis offerat, sanguis christi incipit
esse sine nobis: si vero aqua sit
sola plebs incipit esse sine christo.
Ergo cum botrus solus offer
tur. in quo vini efficientia
tantum designatur: salutis
nostre sacramentum negligitur quod
aqua significatur.

Huius sacramenti ritum mel
chizedech ostendit: ubi panem
et vinum abrahe optulit. Sed
tu michi dicis. Quomodo ergo mel
chizedech vinum et panem tan
tum optulit? Quid sibi vult
admixtio aque? Racionem acci
pe. Primo omnium figura fuit:
que ante precessit tempore mo
ysi. Quia cum sitiret populus
iudeorum et murmuraret quod aquam
invenire non posset. iussit dominus
moysi: ut tangeret petram cum
virga. Tetigit petram. et pe
tra undam maximam fudit: sicut
dicit apostolus. Bibebant autem
de sequenti petra. Petra autem
erat christus. Non immobilis petra:
que populum sequebatur. Et tu bibe
ut te christus sequatur. Vide mis
terium. Moyses. hoc est propheta:
virga. hoc est verbum dei.
Sacerdos verbo dei tangit pe
tram et fluit aqua: et bibit po
pulus dei. Tangit ergo sacer
dos calicem. redundat aqua
in calice. et salit in vitam eternam:
et bibit populus dei qui dei gra
tiam consecutus est.

Didicisti hoc: ergo accipe et
aliud. In tempore dominice pas
sionis cum sabatum magnum insta
ret. quia dominus in cruce vive
bat dominus noster ihesus christus et
latrones: missi sunt qui percute
rent eos. Qui venientes.
invenerunt defunctum dominum nostrum
ihesum christum. Tunc unus de militi
bus lancea latus tetigit: et
de latere eius aqua fluxit
et sanguis. Aqua autem ut
mundaret: sanguis ut redi
meret. Quare de latere?
Quia unde culpa: inde

gracia Culpa per feminam: g̃
cia per dominum nostrum ihesum xpm
Sic vero calix domini non est aqua sola
et vinum solum nisi utrumque misceatur:
quomodo nec corpus domini potest es
se farina sola nisi utrumque adu
natum fuerit et copulatum: et
panis unius compage solida
tum. In sacramento corporis et san
guinis domini nichil amplius
offeratur quam quod ipse dominus
tradidit. hoc est panis et
vinum aqua mixtum: nec amplius
in sacrificiis offeratur. quia de
vinis et frumento Hec tria
unum sunt in xpo ihesu: hec hostia
et oblacio dei in odorem suavitatis
In xpo pater et cristus in no
bis: unum in hiis esse nos faci
unt Si vere carnem corporis
nostri xpus assumpsit et vere
homo ille xpus est: nos quoque
vere sub misterio carnem corpo
ris sui sumimus: et per hoc
unum erimus: quia pater in eo
est et ille in nobis Quomodo
enim voluntatis unitas cum natu
ralis per sacramentum proprietas
perfectum sacramentum sit unita
tis: non est humano aut seculari
sensu de hiis rebus loquendum.
neque per violenciam atque impru
dentem predicacionem dictorum celes
tium sanitati aliene atque impie
intelligentie perversitas extor
quenda est De naturali enim
in nobis xpi veritate vel unita
te que dicimus: nisi que didici
mus ab eo didicimus stulte
atque impie dicimus Ipse enim
ait Caro mea vere est esca:
et sanguis meus vere est potus.

Qui edit carnem meam et bibit
sanguinem meum: in me manet
et ego in eo De verita
tate carnis et sanguinis: non
relictus est ambigendi locus
Nunc enim et ipsius domini pro
fessione et fide nostra vere caro
est et vere sanguis est: et hec
accepta atque hausta efficiunt
ut nos in xpo et xpus in nobis
sit Est ergo ipse in nobis per
carnem Quod autem in eo per sacra
mentum communicate carnis et
sanguinis simus: ipse testatur
dicens Vos autem me videbitis:
quia ego vivo et vos vivetis:
quia ego in patre meo et vos in
me et ego in vobis Si vo
luntatis tantum intelligi uni
tatem vellet ut hec tum asse
rit: cur gradum quendam atque
ordinem consumande unitatis
exposuit. nisi ut ille in patre
per naturam divinitatis nos
contra in eo per corporalem
eius nativitatem et ille rursus
in nobis per sacramentorum inesse
misterium crederetur: Ut per
ipsum mediatorem unitas do
ceret cum nobis in se permanen
tibus ipse maneret in patre
et in patre manens maneret
in nobis: et ita ad unitatem
proficisceremur: cum qui in eo na
turaliter secundum nativitatem
inest nosque naturaliter in eo
essemus ipso in nobis natu
raliter permanente ¶
Quod autem hec in nobis na
turalis unitas sit: et ipse
testatus est Qui edit carnem
meam et bibit sanguinem meum.

in me manet et ego in eo. Ne
enim in eo erit nisi in quo ipse
fuerit: eius tamen in se assump
tam habens carnem qui suam
sumpserat. sicut misit me vi
uens pater et ego vivo prop
ter patrem: qui manducat me
ut carne mea, ipse vivet per
me. Quomodo per patrem vi
uit: eodem modo nos per car
nem eius vivimus. Hec ergo vi
te nostre est causa quod in no
bis manet per carnem Cristi
... victurum per eum ea condi
tione qua vivit ille per patrem.
Si ergo nos naturaliter se
cundum carnem per eum vivimus.
id est naturam carnis sue ad
epti. quomodo non naturaliter
secundum spiritum in se patrem habeat
cum vivat ipse per patrem. Cor
pus Cristi quod sumitur de al
tari figura est. cum panis et
vinum extra videtur: veritas
autem dum corpus Cristi et sanguis
in veritate interius creditur.
Hec salutaris victima:
illam in nobis mortem uni
geniti per misterium reparat.
Qui licet surgens a mor
tuis iam non moritur mors
illi ultra non dominabitur. tamen
in se ipso immortaliter et incor
ruptibiliter vivens et iterum
in hoc misterio moritur. eius
quoque corpus sumitur eius
caro in salutem populi patitur
eius sanguis non iam in ma
nus infidelium sed in ora fide
lium funditur. Hinc ergo pe
pensemus quale sit hoc sacrificium:
quod pro nostra absolutione

passionem unigeniti filii sem
per imitatur. Quis enim
fidelium habere dubium possit in
ipsa immolationis hora
ad sacerdotis vocem celos aperi
ri? et in illo Ihesu Cristi miste
rio choros angelorum adesse
summa et yma sociari unum
quid ex invisibilibus atque visi
bilibus fieri. Idem uno eode
que tempore ac momento et in
celo rapitur ministerio angelo
rum consociandum corpori Cristi:
et ante oculos sacerdotis in
altari videtur. Tanta est
unitas ecclesie in Cristo: ut unus
ubique sit panis corporis Cristi
et unus sit calix sanguinis eius.
Calix enim quem sacerdos catho
licus sacrificat non est alius ni
si quem dominus apostolis tradidit. quia
sicut divinitas verbi dei una
est que totum implet mundum:
ita licet multis locis et innumera
bilibus diebus illud corpus
consecretur non sunt tamen mul
ta corpora Cristi neque multi cali
ces. sed unum corpus Cristi
et unus sanguis cum illo: quod
sumpsit in utero virginis et
quod dedit apostolis. Divinitas
enim verbi replet illud quod
ubique est et coniungit et facit:
ut sicut ipsa una est ita et u
num corpus eius sit in veritate
Unde animadvertendum est quod
sive plus sive minus unus
quisque inde participat. omnes
equaliter corpus Cristi inte
gerrime sumunt: et gene
raliter omnes et specialiter
unusquisque etc.

Misterium fidei dicitur: quod
credere debes quod ibi salus
nostra consistat. Providentis
enim nobis dominus dedit hoc sa
cramentum salutis. ut quia
nos cotidie peccamus et
ille iam mori non potest: per
istud sacramentum remissionem
consequamur. Cotidie enim
ipse comeditur et bibitur in
veritate: sed integer et vivus
atque immaculatus permanet.
Et ideo magnum et paven
dum misterium est: quia et a
liud videtur et aliud intel
ligitur. Sed cum misterium sit
verum verum corpus et sanguis
dicitur. figuram panis et vi
ni habet. faciente domino:
quia non habemus in usu carnem
crudam comedere et bibere sanguinem.
Sicut verus est filius dei
dominus noster ihesus christus non quemad
modum homines per gratiam sed
quasi filius et substantia pa
tris: ita vera est christi caro
sicut ipse dixit. quam accipimus
et verus sanguis est potus.
Ego sum inquit panis vivus:
qui de celo descendi. Sed ca
ro non descendit de celo. Quo
modo ergo descendit de celo
panis vivus. Quia idem
dominus ihesus consors est divi
nitatis et corporis: et tu
qui accipis carnem divine
eius substantie in illo par
ticipas alimento.

Quia passus est pro
nobis dominus commendavit no
bis in isto sacramento sanguinem
suum et corpus quod etiam
fecit nos metipsos. nam et nos
corpus ipsius facti sumus: et
per misericordiam ipsius quod
accipimus nos sumus. Recor
damini et vos non fuistis et
creati estis: et in arcam do
minicam comportati estis la
boribus boum. id est annunci
antium evangelium triturati
estis. Cum cathecumini dif
ferebamini in horreo ser
vabamini: nomina vestra dedistis.
moli cepistis ieiuniis exor
cismis. Postea ad aquam
venistis et conspersi estis:
et panis dominicus facti estis.
Ecce quod accepistis. Quo
modo ergo unum videtis esse
quod factum est: sic unum esto
te vos diligentes vos simul
tenendo unam fidem unam spem
unam individuam caritatem.
Heretici qui hoc accipiunt sacrame
ntum testimonium contra se accipiunt.
quia illi querunt divisionem: cum pa
nis iste indicet unitatem. Sic
et vinum in multis racemis fuit:
et modo unum est. Unum est
in sua nativitate. calix est post
pressuram torcularis. et vos
post illa ieiunia post labores
post humilitatem et contritio
nem iam in nomine domini tamquam
ad calicem christi venistis: et ibi
vos estis in mensa et in calice
nobiscum vos estis. Simul enim
hoc sumimus simul bi
bimus: quia simul vivimus.

Ita dominus noster ihesus christus nos
significavit nos ad se pertinere
voluit: misterium pacis et u
nitatis nostre in mensa consecravit

Qui accipit misterium vni-
tatis et non tenet vinculum
pacis: non misterium accipit
pro se / sed testimonium contra se.
Nulli est aliquatenus ambigen-
dum vnumquemque fidelium cor-
poris et sanguinis domini-
ci tunc esse participem / quando in
baptismate efficitur membrum
christi: nec alienari ab illius
panis calicisque consortio:
etiam si antequam panem illum
comedat / calicemque bibat
de hoc seculo migrauerit
in vnitate corporis constitutus.
Sacramenti quippe illius
participatione ac benefi-
cio non priuatur: quando in se
hoc quod illud sacramentum
significat inuenitur. Qui
manducat et bibit christum:
vitam manducat et bibit.
Illud manducare est refici: illud
bibere est viuere. Quod in sacra-
mento visibiliter sumitur:
in ipsa veritate spiritualiter
manducatur et bibitur.

¶ Manducatur christus: viuit
manducatus: quia surrexit
occisus. Nec quando man-
ducamus: partes de illo fa-
cimus. Et quidem in sacra-
mento sic fit. Et norunt
fideles. quando manducent car-
nem christi: vnusquisque accipit
partem suam. Per partes
manducatur in sacramento:
et manet integer totus in
celo. Per partes mandu-
catur in sacramento: et manet
integer totus in corde tuo.
Totus enim erat apud patrem:
quando venit in virginem.
Impleuit illam: nec reces-
sit ab illo. Veniebat in car-
nem ut homines eum mandu-
carent: et manebat inte-
ger apud patrem ut et an-
gelos pasceret. Inuitat do-
minus seruos: et preparat
eis cibum seipsum. Quis
audeat dominum suum man-
ducare? Et tamen ait: Qui
manducat me: viuit propter me.
Quando manducatur vita man-
ducatur: nec occiditur ut
manducetur: sed mortuos
viuificat. Cum manducatur
reficit: sed non deficit. Non
ergo timeamus fratres mandu-
care panem istum / ne forte fi-
niamus illum: et postea quid
manducemus non inueniamus.
Quod videtur panis est et
calix: quod etiam oculi renunci-
ant. Quod autem fides pos-
tulat instruenda: panis est
corpus christi / et calix est san-
guis. Ista ideo dicuntur sa-
cramenta: quia in eis ali-
ud videtur. et aliud intelli-
gitur. Quod videtur spe-
ciem habet corporalem:
quod intelligitur / fructum
habet spiritualem. ¶

¶ Nichil in sacrificiis maius
potest esse / quam corpus et san-
guis christi: nec vlla obla-
cio hac potior est: sed hec
omnes precellit. Que
pura conscientia domino offe-
renda est / et pura mente
sumenda: atque ab omnibus

veneranda. Et sicuti potior
est ceteris: ita potius ex
coli et venerari debet.

Triforme est corpus domini.
Pars oblate in calice mis
sa corpus christi quod iam re
surrexit monstratur. pars
comesta ambulans adhuc
super terram: pars in altari
usque ad finem misse remanens
corpus in sepulchro. quia
usque in finem seculi corpora
sanctorum in sepulchris erunt.

Dum frangitur hostia dum
sanguis de calice in ora fun
ditur fidelium. quid aliud
quam dominici corporis in cruce immo
latio eiusque sanguinis de latere
effusio designatur? Pa
nis et calix. non qualibet sed
certa consecratione misti
cus nobis fit. Non nascitur
proinde quod ita fit nobis.

Quamvis sit panis et calix:
alimentum est refectionis.
Ante benedictionem alia species
nominatur: post bene
dictionem christi corpus signifi
catur. In illo sacramento christus
est. Qui manducaverit hoc
corpus. fiat ei remissio pec
catorum.

In illa mistica
distributione spiritualis ali
monie hoc impartitur hoc
sumitur: ut accipientes
virtutem celestis cibi in car
nem ipsius qui caro nostra
factus est transeamus. Est
cibus refectionis: est cibus
sanguinis. Sicut enim caro
christi vere est cibus: ita san
guis eius vere est potus.

Idem est corpus de quo dictum
est. Caro mea vere est cibus:
et sanguis meus vere est potus.
Circa hoc corpus aquile sunt:
que alis circumvolant spiritu
alibus. Unde et idem corpus
christi edimus: ut vite eterne
possimus esse participes.
Nos autem in specie panis et
vini quam videmus: res invisi
biles id est carnem et sanguinem
honoramus. Nec similiter compre
hendimus has duas species quem
ad modum ante consecrationem
comprehendebamus. cum fideliter
fateamur ante consecrationem
panem et vinum quod natura
formavit: post consecrationem vero
esse carnem et sanguinem christi.
quod benedictio consecravit.

Forte dicas. Quomodo vera ca
ro quomodo verus sanguis.
quia similitudinem non video carnis
non video sanguinis veritatem?
Primo enim dixi tibi de ser
mone christi qui operatur: ut
possit mutare et convertere
genera et instituta nature.
Deinde ubi non tulerunt sermo
nem christi discipuli eius: sed
audientes quod carnem suam
daret manducare et sanguinem
suum ad bibendum recedebant.
Solus tamen petrus dixit.
Verba vite eterne habes.
et ego a te quomodo recedam?
Ne igitur plures hoc dicerent
et ne veluti quidam esset hor
ror cruoris: sed maneret
gratia redemptionis: ideo in
similitudine quidem accipitis
sacramentum. sed vere nature

gloria virtutemque consequeris. Ergo sum inquit panis vivus qui de celo descendi. Sub alia autem specie tribus de causis carnem et sanguinem tradidit christus et deinceps sumendum instituit. ut scilicet fides haberet meritum de hiis que non videntur. quia fides non habet meritum cui humana ratio prebet experimentum. Et ideo ne horreret animus quod cerneret oculus: quia non habemus usum carnem crudam et sanguinem comedere. Quia ergo christum vorari dentibus fas non est: in misterio carnem et sanguinem nobis commendavit. Et ideo ne ab incredulis religioni christiane insultaretur ||

Nichil convenabilius quam ut sanguis similitudinem sumamus. ut ita et veritas non desit: et ridiculum nullum fiat a paganis quod cruorem occisi bibamus. Sed quare sub dupplici specie sumitur. cum sub substantialiter utraque totus sit christus. Ut ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse: ut totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur vinum ad animam: quia vinum operatur sanguinem. in quo sedes anime a phisicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur: ut anime et carnis susceptio in christo et utriusque liberatio in nobis significetur. Valet enim ad tuitionem corporis et anime quod percipimus. quia caro christi pro salute corporis Sanguis vero pro anima nostra offertur: sicut prefiguravit moyses. Caro inquid pro corpore nostro offertur sanguis vero pro anima. sed tamen quia utraque specie sumitur quod ad utrumque valet: quia sub utraque specie sumitur totus christus.

Porro illa species visibilis sacramentum est gemine rei: quia utramque rem significat et utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis ceteris cibis corpus reficit et sustentat et vinum hominem letificat atque inebriat: sic caro christi interiorem hominem plus ceteris gratiis spiritualiter reficit et saginat. Unde excellenter eucharistia dicitur id est bona gratia. quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis et gratie: sed ille totus sumitur qui est fons et origo totius gratie. Habet etiam similitudinem cum re mistica quod est unitas fidelium. quia sicut ex multis granis conficitur unus panis et ex pluribus acinis vinum in unum confluit: Sic ex multis fidelium personis unitas ecclesiastica constat. Unde apostolus Unus panis et unum corpus multi sumus. Unus panis et unum corpus ecclesia dicitur. pro eo quod sicut unus panis ex multis granis et unum corpus ex multis membris componitur: sic ecclesia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur

Credere in ihesum christum: hoc est manducare panem et bibere vinum. Qui credit manducat invisibiliter saginatur: quia invisibiliter renascitur. Et qui manducat carnem christi et bibit sanguinem illius: vitam habet eternam. Participatione filii quod est per unitatem corporis et sanguinis eius homo manducans vivit: non sumens tantum in sacramento quod et mali faciunt: sed usque ad spiritus participationem ut in corpore domini tanquam membrum maneat et eius spiritu vegetetur: quod est dominum eius mandata servat. Ad altare dei invisibile quo non accedit iniustus ille pervenit: qui ad hoc presens iustificatus accedit. Inveniet ille vitam: qui hic discreverit causam suam. Singuli autem accipiunt christum dominum et in singulis porcionibus totus est: nec per singulos minuitur. sed integrum se prebet in singulis. Ubi pars est corporis: est et totum. Eadem ratio est in corpore domini que in manna quod in eius figura precessit: de quo dicitur. Nam plus collegerat non habuit amplius: neque qui minus paraverat habuit minus. Illud datum fuit antiquitus post transitum maris rubri ubi submersis egiptiis. liberati sunt hebrei: ita hoc celeste manna non nisi regeneratis prestari debet. Corporalis panis ille populum antiquum ad terram promissionis per desertum educavit hic celestis fideles huius seculi desertum transeuntes in celum adducit unde recte viaticum appellatur: quia in via nos reficiens usque ad patriam deducit. Ad quam nos perducere dignetur ipse christus verus panis angelorum et hominum Amen

Et totius mundi opibus legisti. quia ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt. Sermo qui potuit ex nichilo facere quod non erat: non potuit ea que sunt in id mutare quod non erat? Non est enim minus dare. quam mutare novas naturas rerum. Sed quid? Cur argumentis utimur. suis utamur exemplis incarnationisque astruamus misterii veritatem. Nunquid nature usus precessit: cum dominus ihesus ex maria nasceretur. Si ordinem querimus. viro mixta femina generare consueverat. Liquet ergo quod preter nature ordinem virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus: de virgine est. Quid ergo queris nature ordinem. virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus de virgine est. Quid queris nature ordinem in christi corpore. cum preter naturam sit dominus ihesus partus ex virgine: vera utique caro christi. que crucifixa. que sepulta est vere ergo illius sacramentum est. Ipse clamat dominus noster ihesus. hoc est corpus meum: ante bene

dictione verborum celestium alia
species notatur. post consecrationem
corpus Christi significatur. Ipse di-
cit sanguinem suum. ante consecrati-
onem aliud dicitur, post consecrati-
onem sanguis Christi nuncupatur.
Tu autem dicis amen: hoc est verum est.
Quod sermo sonat: affectus sen-
tiat. Panis in altari usitatus
ante verba sacramentorum: ubi autem
accesserit consecratio: de pane fit caro
Christi. Quomodo autem fit qui panis
est esse corpus Christi? Consecratio
igitur ex quibus verbis et ex cuius
sermonibus est? domini Ihesu.
Nam per reliqua omnia que loquitur:
laus deo offertur. oratione fit
petitio pro populo, pro regibus, pro ceteris.
Ubi autem sacramentum conficitur: iam
non suis sermonibus sacerdos.
sed utitur sermonibus Christi.
Hic tempore quo facta sunt omnia
celum terra maria. vides ergo
quam operatorius sit sermo Christi. Si
ergo tanta vis est in sermone Christi
domini Ihesu: ut inciperent esse
que non erant: quanto magis opera-
torius est ut sint que erant: et
in aliud commutentur. Et sic quod
erat panis ante consecrationem: iam
corpus Christi post consecrationem est: quia
sermo Christi creaturam mutat.
et sic ex pane fit corpus Christi.
Et vinum cum aqua in calice mixtum:
fit sanguis consecratione verbi celes-
tis. Sed forte dicis: Speciem
sanguinis non video: sed habet similitudi-
nem. Sicut enim mortis similitudi-
nem assumpsisti ita etiam Christi similitu-
dinem sanguinis bibis ut nullus
horror cruoris sit: et pretium

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF



TIFFEN Color Control Patches
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2007
Inches
Centimetres
TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007